
GLASGOW UNIVERSITY LIBRARY
VIA VERITAS VITA

# TENTAMEN MEDICUM

## INAUGURALE,

DE

# ARTHRITIDE REGULARI;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

**D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.**

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

**Pro Gradu Doctoris,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT


## GULIELMUS STROUD,

Anglus,

SOC. REG. MED. EDIN. SOCIUS.


---

'Επιδεσμοχαρὲς, κατακλινοβατὲς,
Μωλυσοδρόμα, βασαναστραγάλα,
Σφυροπρησιπύρα, μογισαψεδάφα,
Δοιδυκωφόβα, γονυκλαυσαγρύπνα,
Περικονδυλοπωροφίλα,
Γονυκαμψεπίκυρτε ΠΟΔΑΓΡΑ.

ΛΟΥΚΙΑΝΟΥ ΤΡΑΓΟΠΟΔΑΓΡΑ· ΧΟΡΟΣ.

---

2do Die Augusti, hora locoque solitis.


EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART,

Academiae Typographus.

182019.

FRATRI SUO DILECTISSIMO,

HENRICO FITZHERBERT STROUD,

VIRO,

INGENIO FELICI ET HONESTIS LITERIS ORNATO,

OB INSIGNEM VITAE PROBITATEM,

VENERATIONEM ERGA DEUM,

BENIGNITATEM ADVERSUS AMICOS,

ET IN GENUS HUMANUM BENEVOLENTIAM,

DIGNO QUI OMNIBUS PROPONATUR,

EGREGIUM MORUM EXEMPLAR;

ARTIBUS INTERIM VIRTUTEM,

ET DOMESTICAM TRANQUILLITATEM AMBITIONIS LABORIBUS,

SAPIENTER PRAEPONENTI,

TENUE HOC OPUSCULUM,

FRATERNAE AMICITIAE ET OBSERVANTIAE,

FUGAX QUIDEM SED SINCERUM TESTIMONIUM,

VESTIGIA EJUS PERSEQUI EXPETENS,

QUANQUAM HAUD PASSIBUS AEQUIS,

LUBENTISSIME DEDICAT

AUCTOR.

To John Thomson, M: D: & P: &c
as a slight testimony
of sincere respect
and grateful acknowledgement
from the Author.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

# ARTHRITIDE REGULARI.

## PRAEFATIO.

Ne forte parum verecundus videar, qui ex legibus almae hujus Academiae, aliquid medici argumenti editurus, Arthritidem aggressus sim, morbum nimirum, ut expertissimi Musgravii verbis utar, difficilem, varium, multiformem, qui merito scribentem a suscepto deterreat; eruditos lectores jam in limine monitos velim, me in sequente opusculo historici tantum partes sustinere, neque theoriam Arthritidis, sive abditas et continentes causas, nisi summa bre-

vitate perstringere; tum quia rei tam arduae vires minime sufficiunt, tum quia opinor, ex rudi adhuc et imperfecta generali nervorum doctrina, nihil hujusmodi solide et satis pro dignitate tractari posse.

Si enim quod scientia comprehendi nequit conjectura prosequi liceat, natura Arthritidis intima, sive causa proxima ut dicitur, mihi quidem nihil aliud videtur, quam affectio quaedam nervosi generis peculiariter morbosa, in multiplici illo abdominis labyrintho qui ex nervis vagis et sympatheticis magnis conflatur potissimum exoriens, et in alios demum nervos per consensum interpositum diffusilis, fibris tandem musculorum et vasis sanguineis, vel spasmum, vel torporem, vel inflammationem sui generis illatura, unde ipsa rursus nervorum affectio gravior facta, neque ullis viribus corpori insitis vincenda, morbus perpetuus evadit, et sensim sua sponte augetur.

Arthritidis abnormis historiam complecti cupientem, limites hujusmodi opusculis praescripti, distributionem tantum generalem inserere sinit. Hanc autem in duas species, prout morbus regularis praecesserit necne, diducere

putavi. Ambabus satis alias inter se convenientibus, eadem fere, et quidem magni momenti discrimina, prout nempe torpor, an spasmus, an inflammatio interfuerit, postulantur; de quibus si spatium daretur fusius disputandum esset.

His interim breviter praemissis, superest tantum ut tentamen ipsum, tenuitatis ejus haud ignarus, ea tamen fiducia qua decet tantos viros aditurum, eruditis et benevolis lectoribus, summa observantia commendem.

---

## MORBI DESIGNATIO, ET DISTRIBUTIO.

### ARTHRITIS.

Morbus totius corporis, proclivitate quadam peculiari natus, saepe a parentibus, saepius a malo vitae genere deducta, masculos potissimum inter $20^m$ et $50^m$ annum amplo pectore et pleniore habitu praeditos adoriens, haud raro sine causa externa idonea excitatus, et varietates quae sequuntur complectens; initio plerumque acutus, dein chronicus, postea abnormis.

### ARTHRITIS REGULARIS.

Inflammatio sui similis, summopere ardens et excrucians, per intervalla saepe ordinata revertens, iteratione aucta, dyspepsia et torpore membrorum fere praegressis, articulis et annexis partibus, praesertim manuum pedumque, et maxime hallucis juncturis infesta, subinde sedem mutans, sed uni tantum parti eodem tempore acerba, noctu insigniter saeviens et

interdiu quiescens, motu impedito et turgentibus venis semper comitata, plerumque etiam tumore, saepe spasmo, interdum et unice secretione tophacea, laesis interim interiorum partium actionibus, praesertim quae ad concoctionem pertinent, mente simul et nervoso genere plurimum irritatis.

### ARTHRITIS ACUTA.

Accessiones breves inflammationis acutae ex pluribus fere minoribus constantes, febre synocha stipatae, affectae partis sudore, pruritu, et in manibus pedibusque cuticula decidente, promptius finitae, intervallis liberalibus interpositis.

### ARTHRITIS CHRONICA.

Accessiones diuturnae inflammationis lentae, vagae, multo spasmo, et torpore intermixtis, tumore et claudicatione perstantibus, debili arteriarum pulsu, concoctione plurimum laesa, et gravi nervosi generis irritatione comitatae, nullis certis signis finitae, et valetudine per angusta intervalla dubia et infirma.

### ARTHRITIS ABNORMIS.

Cujusvis partis praeter articulos et maxime interioris affectio morbosa; torpor scilicet, vel spasmus, vel sanguine distentio, vel demum inflammatio, ut plurimum in senioribus, aliisque quibus indoles arthritica viscerum imbecillitati jungitur.

### ARTHRITIS RETROCEDENS.

Arthritis vel acuta vel chronica subito interrupta, affectione abnormi protinus subsecuta.

### ARTHRITIS ABNORMIS PRIMARIA.

Affectio veluti in Arthritide retrocedente morbosa, sed plerumque minus vehemens, neque Arthritide regulari neque alia evidente causa statim praegressa.

---

# ARTHRITIDIS REGULARIS HISTORIA.

## DE SIGNIS PRAENUNCIIS.

Signa praenuncia indolem arthriticam aggravatam exhibent, et jam in manifestum paroxysmum transituram. Constant autem ex pluribus functionibus haud secus ac in febre ineunte languentibus, cum artuum torpore, cui tandem succedunt incitatio, et ad quasdam partes distributio sanguinis abnormis.

Vires concoctrices praecipue labefactantur, verique simile est earum instrumenta congesto sanguine turgere; deficit cibi appetitus; aestuans ventriculus flatus et acorem eructat; praecordia vel frigent vel dolent; alvus plerumque astricta aliquando fluit, nec raro comitatur aut icterus, aut cholera, aut haemorrhois.

Secernenda interim fere omnia vel minuuntur vel vitiantur. Cutis halitus suppressus pondus corporis auget,[1] interdum acidus aut foetidus, annulos metallicos digitis circumjectos, tanquam vapor sulphureus, denigrat.[2] Dorsum

et brachia pruriunt. Lachrymae et faucium humor, acrimoniam quandam adepta, subjectas partes stimulant. Urina nunc pallet nunc rubescit, sales phosphoricos, per morbi intervalla deficientes, jam debita portione recipit,[3] et saepe minutos calculos, arenulae instar, frigefacta demittit.

Nonnunquam febricitat aeger, arteriae citius et languidius moventur, frigus et calor vicissim urgent, cum horrore inter somnum, qui spasmis etiam et imaginibus perturbatur. Genus insuper nervosum graviter laborat, interdum capitis dolor aut vertigo adest, hominem moveri piget, totumque corpus lassitudinem sentit. Mens anxia et irritabilis morositatem insolitam vel summam tristitiam ostendit.

Membra interim inferiora frigore torpent, cum sensu quodam formicationis, et flatuum per femorum carnes descendentium.[4] Pedes inarescunt; dolores acuti musculos pererrant, cum spasmis frequentibus, et articulis inter somnum subsultu resonantibus.[5] Pars mox inflammanda debilitate et sensu coarctationis afficitur. Tophi, si qui sint, et ulcera exinde nata, cum punctione dolent.

Signa jam descripta plures dies, imo hebdomadas, perseverare possunt, nec semper ab Arthritide manifesta excipiuntur. Instante vero accessione, saepe ex virium naturalium renixu in contraria mutantur. Dyspepsiae et torpori superveniunt incitatio et alacritas, appetitus cibi acrior fit, neque tamen naturalis.[6] Impetum sanguinis versus partes afficiendas auctum demonstrant, nunc insolita agilitas,[7] nunc tumor et facilis defatigatio, quibus accedunt inflatae venae, et pedum clavi, vel glandulae infra cutem cum dolore turgentes.[8]

## DE ARTHRITIDE ACUTA.

Morbo adhuc recente, interdum nullis signis praegressis, nisi fortasse valetudine nimium secunda, subito detonat paroxysmus. Postea vero signa praenuncia antecedere solent, et ingravescente malo intenduntur.

Inter anni tempora, frigidae et humidae tempestates potissimum Arthritidi objiciuntur; ideoque maxime primum Ver, vel medius Februarius, deinde Autumnus, postea Hyems, rarissime Aestas, quanquam nonnullis, uti SAUVAGESIO contigit, calor praecipue nocet.[9]

Sedes morbi generalior in articulis collocatur, quorum vix ullus quidem immunis est praeter laryngis juncturas, uti clarissimus MORGAGNI annotavit.[10] Pedum autem articuli, et praesertim ex SENNERTI sententia sinistri,[11] omnium frequentissimi plectuntur, dein manus, genua, cubiti, novissime humeri et coxae.

Rariorem et abnormem sedem praebent partes fibratae passim; surae nimirum, et tendines Achillis dicti, deinde pectoris et lumborum musculi, postea temporum et maxillarum, cum acerbissimo dentium dolore, qui interdum etiam

effusione tophacea evulsi, sponte excidisse memorantur.[12]

Morbum summe inveteratum vertebrarum et costarum articulos, nasi et aurium cartilagines, labia, et ipsas tandem irides attingere, clari auctores Aretaeus et Aetius contenderunt.[13]

Quod ad interiorem sedem attinet, ignorari non oportet Arthritidem omnes fere corporis texturas occupare posse, magis tamen affectare fibratas; imprimis ligamenta, dein tendines, iisque annexas thecas, aponeuroses, et bursas mucosas. Cutem et membranam cavernosam secundario loco afficit, postremo periosteum, cartilagines, et ipsa denique ossa.

Constat ex recensione Scudamorii, qui hanc rem laudabili diligentia indagavit, primos Arthritidis insultus plerumque esse simplices, minus tamen in foeminis quam in viris, siquidem inter 100 exempla vix 22 multiplicia contingant.[14] Quanta vero frequentia singulae partes corripiantur, subjecta Tabula, ex opere ejusdem ingeniosi auctoris collecta, luculenter edocebit.

## TABULA

FREQUENTIAE SERIEM OSTENDENS, QUA SINGULAE PARTES PRIMA ARTHRITIDIS ACCESSIONE AFFICIUNTUR.

| | Accessionibus simplicibus. | Accessionibus multiplicibus. | Accessionibus universis. |
|---|---|---|---|
| Pes .......................... | 94 | 75 | 90 |
| Manus ...................... | 4 | 8 | 4 |
| Genu ........................ | 2 | 0 | 2 |
| Aliae partes ................ | 0 | 17 | 4 |
| Summae .................... | 100 | 100 | 100 |
| Sola hallux ................ | 84 | 33 | 73 |
| Hallux cum aliis partibus .. | 0 | 25 | 6 |
| Aliae partes solae .......... | 16 | 42 | 21 |
| Summae .................... | 100 | 100 | 100 |

Morbus ut plurimum noctu invadit, tempore scilicet inter mediam noctem et horam tertiam matutinam. Excitatur aeger dolore singulari,

saepissime primum hallucis articulum cum calore et rigiditate occupante. Dolor initio tolerabilis illum quodammodo refert qui ex osse luxato nascitur, cum sensu quasi aquae tepidae membranis affusae, brevi tamen saeviens, valido pulsu et ferventissimo aestu partem excruciat. Dolorem comitantur pyrexia, mentis et nervosi generis irritatio, concoctio laesa, alvus astricta, et urina roseo sedimento aut lateritio turbida et rufa.

Signa ad quintam vel sextam horam assidue augentur, dein interdiu quiescunt, vespere rursus cum rigore exarsura, quo fit ut nox summo cruciatu, et perpetua sed inutili jactatione, transigatur. Mane tamen redeunte aeger levamentum accipit, et leni madore perfusus optato perfruitur somno.

Incipiente dolore pars parum mutari videtur, secundo autem die manifeste tumet, venis undique turgentibus, nitido splendore, et rubore laete coccineo qui postea purpurascit.

Talibus constans accessionibus quotidianis, morbus jam recens a quinto ad decimum usque diem, malis noctu exacerbatis interdiu lenitis, perseverare solet, eo plerumque acutior quo

sedes angustior fuerit. Tandem vero sedatur inflammatio; squamulae ex summa cute molestissimo pruritu discedunt; pars sensim detumescit; redeunt cibi appetitus, et mentis tranquillitas; primis diebus nonnihil claudicat aeger, cito tamen revalescit, et interdum omnes corporis et mentis facultates in melius promoveri videntur.

Arthritis sibi permissa diuturnitate viget, et si quis alius morbus, vires acquirit eundo. Accessiones provectiores eo tantum a recentioribus discrepant, quod plures partes vehementius aggrediantur, ut saepe ante tertium diem nullam remissionem accipiant, postea vero interdiu fere quiescentes, solum noctu saeviunt. Insuper notandum est, omnem graviorem accessionem ex pluribus minoribus, vel in eadem parte, vel in aliis, constare; raro tamen diversas sedes simul, sed plerumque successione occupare. Saepe fit morbum uno loco subito sedatum, ad alium paucissimis horis transvolare, aura nonnulla qualis epilepticis contingit praegressa.[15] Interdum partes consimiles alternis corporis lateribus serie ordinata afficiuntur,

quod ita fieri probabile est ex peculiari talibus partibus interposito consensu.

---

Descripto jam supra communi accessionis decursu, superest ut de singulis ejus signis quaedam generalia notentur.

Primum igitur animadvertendum est, dolorem arthriticum omnino sui similem esse, et prae aliis intolerabilem, maxime partibus inexpertis. Ex aegrorum testimonio, sensu quodam motus intestini stipari videtur, et nunc fortem ligamentorum dilacerationem, nunc validam compressionem, interdum acrem lancinationem exprimere, haud secus ac si cuneis articuli vel aciculis ardentibus transfoderentur, aut ingenti ponderi succumberent, aut canibus denique voracibus roderentur.[16] Morbi intus adhuc latentis dolor acerbissimus est, motu tamen et tepore aliquantulum levatur, nec prementem manum refugit; verique simile est ligamenta eum et periosteum tunc potissimum occupare, unde ab ARETAEO calvariae suturas,[17] a SYDENHAMIO pedis vel manus ossicula,[18] accurate designare diceretur. Ubi autem ad summam cu-

tem pervenerit inflammatio, ab omni calore et agitatione abhorret, neque stragulorum pondus, neque cubiculum a firmiore ambulatione concussum, sustinere valet.[19]

Cuique parti Arthritide correptae fere perpetuum est cum sensu vellicationis incalescere. Calor autem, etsi naturalem interiorum partium temperiem non superat, aegri tanquam aestum aquae bullientis, aut liquefacti plumbi percipere solent; imo ex corporibus ferventibus casu illapsis parum augeri affirmant; unde fortasse ARETAEUS dixerit, tales partes a vulnere aut ambustione ita non dolore, ut etiam voluptate afficerentur.[20]

Quae in 15 exemplis de hac re a SCUDAMORIO diligenter observata sunt, sequenti Tabula exponuntur.

| | Calor partis sanae. | Calor partis inflammatae. | Caloris excessus. |
|---|---|---|---|
| Maximus... | 94°. 50. | 97°. 0. | 23°. 50. |
| Minimus... | 69°. 50. | 75°. 50. | 1°. 0. |
| Medius...... | 83°. 18. | 90°. 16. | 6°. 98. |

Accedente tumore dolor sublevatur, sensu coarctationis imminuto, auctis interea, praesertim dependentis membri, gravitate et impotentia. Ipse tumor ex effuso sero constat, cum rarius in Arthritide fibrina secernatur. Distentae venae, et pulsus concitatus arteriarum, quae omni accessioni perpetua sunt, circuitum sanguinis affecta parte impeditum manifeste ostendunt. In gravioribus pili etiam et ungues nullum accipere incrementum dicuntur.[21] Vena Saphaena major nigro sanguine referta, et cum ramulis arboris instar dispansa, praecipue tumet doletque. In plenioribus et laxis sanguis aliquando subter cutem profunditur, qui magis nigrescit, et tardius dissipatur, quam si ex contusione idem proveniat.[22] Interdum bursae mucosae, vel ad cubitum, vel ad poplitem, vel juxta musculos glutaeos, subito et summo dolore turgent, nec facile postea detumescunt. Tendines inflammati, crassi et rigidi evadunt, et inter se quodammodo conglomerantur.

Praeter spasmos, sive artuum, sive abdominis musculorum, quos Scudamorius in 67 ex 100 exemplis accessioni interfuisse observavit, dolores etiam peracuti, ictum electricum refe-

rentes, corpora Arthriticorum undique excruciare solent, et tandem glandulis inguinis vel poplitis conglobatis infixi, nonnihil tumoris ibi excitant, et levissimo motu perinde ac spasmi intenduntur.[23]

Signis parti propriis jam expositis, ad ea transeundum est quae corpori universo contingunt. De his imprimis notatu dignum est, omnem graviorem paroxysmum febre ardente symptomatica, pulsu scilicet pleno, valido, duro, et frequenti stipari; interdum autem vel ex frigore collecto, vel ex valetudine nimium luxuriante, primaria febris urget: Sanguis incisa vena detractus, haud secus ac pleuriticis aut rheumaticis observatur vitiosus; crassamentum plurimo sero natans crusta coriacea valde tenaci obducitur; particulae rubrae solito rariores minus inter se cohaerent, praesertim in iis qui diu cum acerbo hoc morbo conflictati fuerint,[24] quorum etiam sanguis arenulas tophaceas interdum exhibuisse memoratur;[25] cui adjicere licet, si Doctorem Colbatch audiamus, copiam Ammoniae tertia parte majorem ex arthritico quam ex sano sanguine distillari posse.[26]

Nervosum genus admodum concitatum testantur sensus vehementer auctus, tremores, spasmi, et totius corporis agitatio et angor, quae nonnunquam lucis intolerantiam inferunt, et ipso dolore aegrius sustinentur. Neque profecto ex alia quavis inflammatione animus aeque perturbatur: mens prius languida et tristis, insigniter solicita fit et irritabilis; intellectus interdum acuitur, nec rectius Arthritidis quam iracundiae accessio omnis, teste Sydenhamio, appellari posset.[27]

Maxime interim labefactantur functiones quae naturales dicuntur: lingua sordida crusta obducitur, sitis et cibi fastidium assidue urgent, ventriculus flatu et nausea pressus acorem saepe ructat, vel majore levamine vomit; liquor tamen effusus, quantumcunque interiores partes irritet, chemica arte exploratus parum acidi manifestat.[28] Alvus plerumque tarda est, aliquando cum haemorrhoide, vel foetida, nigra, et mucosa tantum demittit.

Mutationes denique morbosae quas Urina subit, humor nimirum excretus peculiaris et maximi momenti, notatu dignissimae sunt.

Urina igitur, membrana vias ejus obtegente irritata, interdum aegre et cum ardore redditur: densa, olida, obscure rubra, vix tertiam potus partem, auctore SYDENHAMIO, adaequat:[29] adhuc calida pellucet, frigefacta sedimentum deponit iterum calore dissolvendum: pondus ejus specificum a 1025 ad 1040, prout morbus acutior fuerit augeri SCUDAMORIUS observavit; cum sanae urinae pondus inter 1010 et 1015 comprehendatur. Ex tali ponderis augmento, non autem ex solo sedimento quod parum ad gravitatem confert, omnia quae urina soluta habet redundare judicantur.[30]

Urgente inflammatione, nec inclinata tantummodo ut quidam voluere, sed statim ab initio, pulvis roseus vel lateritius descendere solet, qui Chemica industria indagatus, ex Urate Sodae, salibus phosphoricis, et materia animali colorante, varia ratione intermixtis, constare videtur: languore autem et dyspepsia dominantibus, ex salibus phosphoricis solis albidus pulvis et Magnesiae similis nascitur, vel interdum alterne cum prioribus dejicitur. In urina 27 Arthriticorum ex 100 SCUDAMORIUS albumen detexit, quod rarius tamen cum roseo

pulvere conjungi a Doctore WELLS observatum est.[31]

De hisce sedimentis ultimo loco dicendum est, illa accessioni Arthriticae saepe quidem, sed neque omni neque soli intercedere, et ab arena per morbi intervalla potissimum reddita muci tantum redundantia discrepare, unde chrystallorum concretio quae in sabulo fit prohibetur, et matula insuper lactea crusta obducitur.[32]

---

Provectiores accessiones, nullo certo spatio astrictae, modo intra dies 14 finiuntur, modo menses 2 vel 3 perseverant: animadvertendum autem est, omnem longiorem accessionem ex pluribus constare minoribus, quarum singulae inter 5 et 14 dies absolutae, decedente morbo sensim minuuntur.

Quod ad exitum accessionis scire licet, eam nonnunquam critica quadam exinanitione finiri, vel humoris acerrimi vomitu rejecti, vel materia albida in urina subsidente, vel alvi fluxu, vel salivae profluvio, vel abscessu glandulae, vel ex membro denique laborante excretione

tophacea.[33] Rarissime inflammatae partes aut suppurantur, aut cohaerescunt, plerumque autem accessio sponte, et quasi propria violentia extincta resolvitur, cum pruritu molestissimo, et in manibus pedibusque cuticula in squamulas abeunte. Nonnullis versus finem sudor ex affecta parte erumpit olidus et glutinosus, turbidae urinae odorem referens, et argentum vaporis instar sulphurei denigrans;[34] neque desunt qui credunt materiam tophaceam hoc modo exhalare, eandemque in gravissimis accessionibus cutem pulvere albido inspergere, unde manus tabulae impressa notam cretaceam relinquit.[35]

Ex omni Arthritidis incursu artus plurimum debilitantur, ex gravi et vetusto nunquam absolute revalescunt; corpus interim universum in praesentia quidem melius se habet, mentis facultates redeunt, et quibusdam etiam acuuntur,[36] saepe tamen vires tardius restituuntur, et raro valetudo diu perstat secunda.

## DE ARTHRITIDIS INTERVALLIS ET PROGRESSU.

Arthritis, si paucissima excipiantur exempla quibus semel tantum incidisse memoratur, perpetuo recurrere solet. Ad accessionum frequentiam simul et severitatem multum interest, quanta cuique sit ad morbum proclivitas, aut ad causas remotas opportunitas; multum etiam interest quomodo novissime invaserit, quo enim acutior fuerit, eo liberalius, teste Sydenhamio, erit intervallum.[57] Ignorari autem non oportet, secundam, vel etiam tertiam accessionem priori subjungi posse, si corpori adhuc opportuno causae idoneae illatae fuerint, quod ex frigore collecto, animi perturbatione, vel medicamento purgante temere adhibito, nonnunquam se observasse expertus Warner profitetur.[58]

Post acutam articulorum inflammationem corpus aliquando melius se habere supra propositum est, nec desunt exempla quibus Arthritis ad seram usque senectutem, modico sanitatis detrimento perseveraverit; multo tamen

saepius evenit, morbum in extremis articulis incipientem, paulatim ad grandiores, et ad medium denique corpus ascendere, proclivitate perpetuo ingravescente, accessionibus acerbius et frequentius urgentibus, et valetudine tandem fracta et conquassata.

Arthritis adhuc regularis omnibus fere partibus eadem est; rubor autem et tumor maxime in cubito, dorso manus, et pedis pollice observantur, pulsus in halluce, et impotentia ex gravitate in convexo pedis; tumorem talorum, genuum, et carporum, distentae thecae et bursae mucosae praecipue efficiunt, iisdemque partibus rubor vel nullus est, vel modicus, et intertinctus. In humero vix quicquid praeter naturam conspicitur, dolor autem vehementer cruciat, et veluti in calce diutius perstat. Arthritidem femur occupantem sensum exhibere quasi ingentis ponderis appensi, sine dolore tamen notabili, SYDENHAMIUS confirmat;[39] coxa vero affecta viscerum vicinorum functiones impedit, et tandem in Ischiadem abit.

Prima Arthritidis intervalla, eo longiora quo junior aeger, ad 3, vel 4, vel interdum 14 annos

producuntur, postea sensim contracta plerumque annua fiunt, morbo nonnunquam ad certum diem reversuro, quod ex egregia vi consuetudinis plurimum pendere videtur. Inveterascente malo, accessiones bis quotannis excitantur, donec vix ulla denique doloris remissio nisi per aestatem percipitur. Minime vero praetereundum est, exempla quaedam clarissimo HEBERDEN innotuisse, quibus Arthritis postquam per 10, aut etiam 28 annos quotannis reversa fuerit, per 3, vel etiam 30 annos, sine quavis noxa manifesta, conquieverit.[40]

Neque tamen dissimulandum est, infelicem morbum raro penitus sanari, quin saepius vetustus vel abnormis fieri soleat, praeter vitia localia quae articulis ipsis contingunt.

## DE ARTHRITIDE CHRONICA.

Arthritis Chronica plerumque acutum morbum subsequitur, interdum primaria est. Prior quidem aut accessiones provectiores minore tantum violentia repraesentat, aut morbus pene localis, Rheumatismum imitatur.

Inflammationi lentae et fugaci multum spasmi et torporis interseritur, unde pars affecta saepe glaciali frigore alget; dolor lenior, et Rheumatismi instar vagus, noctu fere exacerbatur; tumor pertinax et diffusus molesto sensu gravitatis et distentionis opprimit, et nonnunquam effusione tophacea augetur; rubor vel nullus est, vel modicus, et purpureus; venae proximae dilatantur; extenuatis musculis, artus debiles perstant; thecae et bursae mucosae saepissime plectuntur, et ad talos carposque, tendines inter se quodammodo conglomerantur; dolores peracuti varios nervos torquent, et spasmi ex oscitatione, vel irrepente somno concitati, ictum quasi clavae convexum pedis confringentis tanto cruciatu exprimunt, ut si vel tantisper durarent, omnem humanam patientiam, judice SYDENHAMIO, devincerent.[41]

Signa interim concoctionis laesae, veluti in Arthritide Atonica, vehementer urgent: ventriculus flatu et acore aestuans, interdum tanquam ex gelu inalgescit; cibi appetitus aliquando acrior, plerumque deficit; alvus fere pigra, nonnunquam fluit; venae circa anum saepe dolent, vel sanguinem effundunt; Urina

sub languore abundat, et veluti in Diabete Aquosa, plurimum muci mane demittit; corpore autem concitato parca fit et crassa, cum sedimento roseo vel lateritio. His accedunt gravis lassitudo et debilitas, dorsi et aliarum partium vespere pruritus, saepe lenta tussis, nonnunquam palpitatio, somnus spasmis et imaginibus perturbatus, mens tristis et irritabilis.

---

Arthritis Chronica Primaria rarior morbus, et in majorem varietatem diductus, eos potissimum exercet quibus cum proclivitate infirmitas jungitur, ideoque seniores homines, imbecillos, et praesertim mulieres. Arthritidi Abnormi aliquatenus affinis, halluci parcit, manus vero, talos, et convexa pedum, modo parum Acutae simili, subito invadit; raro tophos gignit, sed intima potius ossa et cartilagines carie et exulceratione infestat; plurima functionum laesione, praecipue nervosi generis, stipatur, et saepe ad interiores partes periculose convertitur.[42]

---

Hinc fortasse referendus est ille morbus, qui a descriptore HAYGARTH, ARTICULORUM NODOSITAS nuncupatur, et vetularum digitos insigni duritie, tumore, et rigiditate deformat, dolore interim leni sed assiduo, nonnunquam cum Asthmate aut ventriculi tormento alternis vicibus urgente.[43]

Huc etiam pertinere videtur species illa quae vulgo ARTHRITIS MUTA nominatur, mulieribus etiam familiarior, et interdum quidem pubescentibus arthriticae stirpis molesta: raro pedes, quin potius genua, aut brachiorum juncturas magno tumore et debilitate occupat, dolore tamen tolerabili; diu articulis haeret, sed ventriculo imbecillo nectitur, et viscerum morbis aliquando sociatur.[44]

---

Chronicae Arthritidis curriculum, sive spatium quo absolvitur, valde incertum est: sibi permissa, aestate tantum quiescit; post plures annos interdum per se conficit, frequentius autem quam acuta species in abnormem desinit, et articulos magis obrutos et impeditos relinquit.

## DE TOPHIS, ALIISQUE ARTUUM VITIIS, ARTHRITIDE ORIUNDIS.

Ex Arthritide inveterascente, affectae partes vel per se deformatae, vel tophacea insuper materia obstructae, tumidae, debiles, et rigidae perstant: varices haud raro in cruribus oriuntur, et nonnunquam sanguinem sub cute fundunt, aut ulcera gignunt; musculi marcent, tendines saepe concrescunt, et flexores contracti manent; fasciae quibus carnes teguntur, interdum crassae et cuti adhaerentes, insignem duritiem et rigorem contrahunt;[45] thecae et bursae mucosae, ex humore interiori redundante et corrupto, admodum tument, vel nodis exasperantur; ligamenta crassa, invalida, contracta, facile dolent, et manum comprimentem refugiunt; articuli aut aegre et cum crepitu moventur, aut omnino moveri nequeunt.

Arthritici, quia dubii pedes subito quasi luxati labare solent, tarde et male incedunt, passibus exiguis, et summa circumspectione usi: impotentia, tanquam ex nervorum resolutione, manibus potissimum contingit; digiti immobiles

et varie distorti, fasciculum radicum Pastinacae referunt;[46] ultimo tandem morbi gradu ossiculorum capita extuberant, vel ipsa interdum absumuntur.[47]

---

Tophacei humoris effusio Podagrae quidem propria, minime tamen perpetua est, cum ex 100 Arthriticis, 13 tantum tophis laborantes Scudamorius observaverit, et eosdem multis defuisse affirmet, qui totum vitae decursum acriter cum morbo conflictati fuerint.[48]

Quod ad sedem attinet, in omni fere corporis parte haec materia deprehensa est: inter humores, in sanguine, saliva, stercore, urina, sudore;[49] inter solidas texturas, in membrana cavernosa, ideoque in omnibus partibus illam comprehensis; maxime autem manuum et pedum articulos, ab intima tunica ad summam usque cuticulam, frequentat; interdum ductus excernentes obstruit, aurium nimirum foramina, fistulam urinae, vel oras palpebrarum, interdum ex pulmonibus tussi ejicitur, aut cremoris instar per multa orificia in cutem prorumpit:[50] sunt etiam qui affirmant extrema

ossicula nonnunquam tophos sensim fieri, aut eandem materiam cariosa effundere:[51] nulli morbi formae, nulli stadio propria, aliquando per intervalla, aut in partes etiam inexpertas depluit, quin et arthriticae stirpis mulier a claro medico SUTTON memoratur, cui digiti, sine quovis alio Podagrae indicio, tophis extuberarent:[52] calor interim et vis externa ad eosdem excitandos plurimum valent, et acor ventriculi cum imbecillitate fere comitatur.

Horum autem generatio talis est: infunditur spatiis internis humor lacteus, tenuis, qui initio fluctuat, dein aquosa parte resumpta mollis et argillaceus fit, denique indurescit, nec postea facile resorbetur; diuturna tamen et iterata actione opus est, quo grandiores massae accumulentur. Humor effusus multum muci continet, sed neque fibrina commiscetur, neque tunica, qualis abscessum vulgarem cingit, includitur: Arefactus plerumque albissimus fit et friabilis, varia mole, ab ovi gallinacei magnitudine ad minimam usque particulam:[53] Microscopii subjectus arenulas exhibet inaequales, ex fibris quibusdam oblongis, pellucidis, utraque fine acutis compactas:[54] Chemica arte in-

dagatum, ex Super-Urate Sodae, et materia ut videtur animali constare, solertissimus Wollaston primus demonstravit: Acido Urico sincero paulo facilius liquida Soda vel Potassa dissolvitur; solvitur etiam, sed parcissime, Aqua fervente, unde Acido Muriatico maxime dejicitur, neque alii Acido praeter Nitricum cedit.[55]

Tophi, alias innocui, aliquando mole et compressione vehementer cruciant, interdum, sed rarius, per cutem sine dolore excrescunt: extra articulos secreti motum impediunt, intrinsecus ulcera et deformitatem gignunt, unde digiti luxati nonnunquam transverse inter se implicantur: sub accessione inflammati tam insigniter dolent tumentque, ut gangraena in propinquo videretur; tandem autem, tegumentis disruptis, tophacea materia effunditur, sed per membranam cavernosam late dispersa, initio sero postea pure mixta, tardissime excluditur, ita tamen innoxia, ut articulos patefactos, partes admodum sane irritabiles, plures annos citra inflammationem occupare soleat, et penitus expulsa, ulcera facillime sananda relinquat.[56]

## DE VESTIGIIS ARTHRITIDIS CADAVERE SECTO CONSPICIENDIS.

Absoluta tandem Podagrae Regularis Historia, quantum ad vivos pertinet, superest ut illa quoque quae in mortuis reperta sunt breviter exponantur. Deprehenditur igitur materia tophacea inter fibras musculorum, in thecis tendinum, intra tendines ipsos, per singulas articulorum partes, quae interdum etiam inflammatae et solito crassiores conspiciuntur, et in omnibus denique corporis texturis, ut supra dictum est, quas membrana cavernosa ingreditur.[57] Quibusdam articulis tunica sola interior vitiatur, alii extrinsecus tantum obruti quasi caemento incrustantur:[58] quibus motus diu cessaverit musculi marcescunt, tendines contracti rigent, et tandem pene consumuntur.[59] Veterum Podagricorum membra, praecipue carnes, ductibus oblongis angustis tanquam tineis exesa perforari, auctor fere unicus est Felix Platerus.[60]

Periosteum, cartilagines, ossa, raro nisi ex Arthritide Chronica primaria, aut solis articulis

inveterata, implicari solent: In juvene tamen, post primam gravemque Podagrae accessionem Apoplexia extincto, cartilagines femoris inferiores leniter striatas clarus WENZEL observavit:[61] Ex testimonio ejusdem auctoris, et eruditorum virorum PINEL et BRODIE colligere licet, cartilaginem principio rimosam, rubicundam, et molliter spongiosam evadere, posteaque cum tunica interiori resorptam evanescere: humor articuli vitiosus cremorem refert; extrema ossa inde nudata mollescunt, inflammatione exasperantur, deformiter extuberant, tandemque vel inter se concrescunt, vel materia tophacea obducuntur, vel faciem tanquam ex attritu striatam, vitreo splendore nitentem, et plurimis etiam tuberculis et foraminibus instructam, ostendunt: ultimo morbi gradu cariosa fiunt, resorpta tabescunt, et interdum sed rarius absumuntur.[62]

## DE ARTHRITIDE ALIIS MORBIS CONJUNCTA.

Arthritis, ardentibus morbis dominantibus, praeter modum saevire dicitur, febribus etiam intermittentibus haud infrequenter succrescere, et biliosis conjuncta nonnunquam quasi publice grassari, ita tamen ut Podagram febris perperam curata excitet, recte vero tollat.[63] Si frigus morbum attulerit, Rheumatismus aliquando sociatur, gravior exinde et immobilior evasurus: caeterae fere inflammationes, Arthritide superveniente, supprimuntur, nonnullae autem, et praesertim Pneumonia, ad mortem usque comitari possunt. Denique notandum est, huc enim res redire videtur, Arthritidem Chronicam si laxo et spongioso corpori acciderit, a quibusdam auctoribus Scorbuticam, quod si Lue Venerea prius occupato, Syphiliticam nuncupari.

## DE DIAGNOSI.

Arthritis et Rheumatismus, morbi maxime inter se affines, aliquando ad se invicem propius accedentes, accurate dignosci nequeunt; cum tamen medendi ratio similis sit, distinctionis subtilitas, uti magis difficilis, ita minus necessaria est. Notae caeteroquin quibus optime discernuntur hujusmodi sunt. Rheumatismus juniores aggreditur, minore corporum quoad habitum et constitutionem discrimine; latiorem sedem occupat, musculos scilicet et articulos passim, praesertim grandiores, manuum et pedum contra juncturis minus familiaris, neque uni tantum sedi eodem tempore infixus, neque tophos, qui Podagrae equidem proprii sunt, editurus. Arthritidis causae intus fervescentes occulte morbum moliuntur: Rheumatismus vero, causa manifesta et fugaci, frigore nimirum cum humore, plerumque ortus, raro signa praenuncia exhibet, nec per certa intervalla Arthritidis instar fatigat, sed semel

fugatus saepe nunquam postea revertitur.—Rheumatismus acutus febrem graviorem ostendit, concoctionem minus laesam, parum tumoris aut ruboris, dolorem interim motu potissimum exacerbatum, nec subito et quasi crisi quadam finitur. Rheumatismus vetustate fixior evadit, Podagra mobilior; rarius quam Arthritis ad viscera transfertur, cordi praecipue et cerebro infestus, cum illi contra ventriculus et pulmo maxime objiciantur.[64]

## DE ARTHRITIDIS CAUSIS.

Omnem Arthritidem ex vitiosa quadam corporis constitutione oriri, supra propositum est. Proclivitas autem duplex est, generalis scilicet, sive opportunitas mera, quae utcunque necessaria, nihil tamen valet nisi aliis causis concurrentibus; et specialis, quae manifestum morbum etiam per se efficere potest. Utraque saepe a parentibus deducitur, saepius tamen aliunde ex SCUDAMORII judicio, ratione 51 ad 49, simulque gravior.[65] Podagra haereditaria potissimum a patre derivatur, et omnino a masculis avis frequentius quam foeminis, ratione 76 ad 24.[66] Ex plurimis germanis pauci plerumque afficiuntur, maxime qui forma quoque parentes referunt, interdum sed rarius solae puellae.[67] Multum nimirum ad morbum constituendum valent, et corporis habitus, et temperamenta, et vitae genus, unde in eadem familia alios alias Arthritis affligere solet, masculis scilicet et robustis acuta, foeminis et imbecillis abnor-

mis, modo ventriculi solum aut renum infirmitatem repraesentat, modo articulos tantum vel nodosos vel tophaceos ostendit.[68] Notatu etiam dignum est, Podagram haereditariam citius nonnunquam prolem quam ipsos parentes adoriri, pluraque interdum secula quiescere, seris tandem nepotibus resurrecturam.[69]

## DE INDOLE ARTHRITICA.

Indoles Arthritica, si de re tam abdita tamque obscura conjectare licet, affectione quadam nervosi generis peculiariter morbosa contineri videtur, nervis abdominis primum, interdum solum occupante, unde concoctio laesa, et viscera sanguine turgida; plerumque autem aliis nervis diffusa, et ex singulari intercedente consensu, iis potissimum qui extremis articulis distribuuntur, unde partium adeo visceribus distantium, vel torpor, vel spasmus, vel inflammatio; inflammatione vero ex debilitate deficiente, caetera dominantur.

Proclivitatem ipsis artubus insitam satis fortasse demonstrant, acutus morbus modica vi

externa nonnunquam vehementer excitatus, et chronicus Rheumatismi instar soli parti infestus. Constitutio Arthritica ab omnibus quas edit affectibus, praesertim si inveteraverint, imo ab ipsa tandem inflammatione, cujus violentia aliquamdiu sane imminuta videretur, sensim confirmatur et augetur, quo minus mirandum est, Podagram ita non per se sanari, ut perpetuo etiam increscat, viresque acquirat eundo.

Missis tamen latentium rerum conjecturis, de signis quibus proclivitas extus cognoscitur, certius aliquantum et facilius pronunciare licet. Arthritis igitur masculos praecipue inter 20$^{m}$ et 50$^{m}$ annum, vel strictius inter 25$^{m}$ et 40$^{m}$, adoritur,[70] junioribus infrequens, ante pubertatem rarissima, quanquam a clarissimo MORGAGNI, aliisque fide dignis auctoribus, nonnunquam etiam apud infantes observata fuerit,[71] quorum nempe patres ex SYDENHAMII sententia hoc morbo tenerentur, cum iis procreandis operam darent.[72] Saepius provectiores invadit acquisita Podagra quam haereditaria, ita tamen ut vix cuiquam post 60$^{m}$ annum a SCUDAMORIO exoriri visa sit.[73]

Arthriticis plerumque temperamentum quasi

medium contingit, neque penitus sanguineum, neque melancholicum; habitus corporis crassus et luxurians, amplis venis, et pectore rotundo; compago laxa et spongiosa; nervosum genus irritabile; ingeniosi praeterea observantur et solertes, in omnes animi affectus proni, Veneri indulgentes simulque foecundi. Adhuc juvenes valetudine satis prospera fruuntur, sanguinis tamen profluviis, et interdum Cholerae, vel regio morbo, obnoxii. Cibi fere appetentiores sunt, ventriculus imbecillus acore vexatur, sudores saepe acres effluunt, et urina modo muco, modo sabulo turbatur.[74]

Rarius nisi tali indole praeditae, aut foeminae aut eunuchi infestantur. Arthriticae menorrhagiae et hystericis affectionibus opportunae sunt; debilioribus serius quam in viris, post menstrua nimirum finita, morbus incipere solet, plerumque autem vel chronicus vel abnormis.[75]

## DE CAUSIS PRAEDISPONENTIBUS.

Proclivitas in Arthritidem generalis causis remotioribus intenditur, iisque conjuncta accessiones gignit, sed neque causae concurrentes sine opportunitate, neque haec sine illis, quicquid efficere valent, unde vero ipsa proveniat prorsus ignoratur. Viribus vigentibus, Remotae Causae vel maximae vel plurimae parum et tarde agunt; proclivitate ingravescente, vel minimae quidem et quasi nullae sufficiunt.

Opportunitatem intrinsecus augent, praeter sexus, et aetatis, et constitutionum discrimina quae supra proposita sunt, habitus corporis quoquomodo plenior, et inflammationi idoneus, distributio sanguinis, praesertim ad concoctionis instrumenta, inaequalis, unde Dyspepsia, et molesta acoris, vel interdum bilis, in canali alimenti profusio, genus denique nervosum turbidum et irritabile, quod Arthritide ineunte et acuta corpori etiam robusto contingere potest, tandem vero debili et mobili sociatur.

Talibus conditionibus interpositis, Causae demum externae infelicem morbum occulte et

pedetentim machinantur, quae omnes in malo vitae genere comprehendi possunt: cibi nempe lauti et opipari liberaliter ingesti; liquores fermentati, praesertim vinum, aliaque acida et acescentia praeter modum ingurgitata; vita segnis et desidiosa; somni, studii, laboris, protinus a cibo consuetudo; excernenda diminuta, alvus imprimis astricta, et cutis halitus ex caelo frigido, humido, variabili, impeditus; Venus immodice vel praemature culta; mens nimiis negotiis, voluptatibus, meditationibus, fracta et exasperata, maxime si accesserint nocturnae vigiliae, et tristes animi affectus.

Arthritidem Chronicam et Abnormem peculiariter promovent, corpus totum, et praesertim concoctionis instrumenta, mobilia et infirma, idque sive a parentibus deductum, sive aliunde genitum; aetate nimirum labente, partu apud mulieres frequentiori, vel menstruis finitis, assiduo ex adversis rebus moerore, commoratione in locis frigidis et humidis, praecipue vero ex ipso morbo regulari inveterascente, et antiquas sedes jam debilitatas languidius occupante.

Inter causas autem quae proclivitatem augent, liquores fermentati epoti, quippe qui si-

mul corpus implent, concoctionem laedunt, et nervosum genus vehementer stimulant, omnium Auctorum consensu validissimi aestimantur, neque adeo tamen summa et effraenata intemperantia, quae alios potius morbos aut mortem praematuram minitatur, quam eadem quasi mediocris et diuturna.[76] Inter liquores minus infestant vina, tanquam Xeranum et Maderense, mollia et generosa; pessima sunt Pomaceum, et acidula vina, qualia fere Gallica et Rhenana extant, praesertim Burdigalense et Campanum, quae interdum accessionem derepente excitant; Cerevisia vino aliquanto tutior, nocet tamen pro ratione acoris; Spiritus autem stillatitius Dyspepsiam potius et viscera obstructa quam Arthritidem gignere solet. Haud ignobilis medicus Joannes Floyer observavit, eos potatores qui abjecto vino ad cerevisiam sese contulerint, omnes fere hydropicos fieri; qui vero a cerevisia ad vinum transierint, in Calculum, Podagram, aut regium morbum incidere.[77]

Caeterae Causae per se quidem parum efficaces, intemperantia conjuncta plurimum valent. Res autem illis contrariae, labor prae-

sertim ad sudorem protractus, proclivitatem pari ratione extenuant, ita tamen ut semel producta, saepe suis viribus perseverare potest.

Causas supra recensitas optime confirmant, frequentia Arthritidis apud singula hominum genera, pro opportunitatis ratione, diversa. Urbibus nimirum quam rure crebrior, divites potissimum et primores fatigat, exercituum classiumque duces, rerum publicarum administratores, sacerdotes, mercatores, omnes nempe qui vitam agunt sedentariam, luxuriosam, studiis et curis deditam.[78] Qui vero minore animi contentione, corpus autem assidue exercitantes, sobrie et frugaliter vivunt, pauperes scilicet, et quibus laboris necessitas est, illi rarissime, nisi interdum ex labe haereditaria, Arthritide plectuntur. Inter 3800 aegros in Valetudinarium acceptos, ne unum quidem Podagricum egregius medicus Gilbertus Blane observavit, et in aliis etiam Nosocomiis vix 5 inter 10,000 observantur; Rheumaticorum vero ducenties tantum, cum ex 100 de meliore nota infirmis, idem ingeniosus auctor Podagricos fere 4 numeraret, totidemque Rheumaticos.[79] Nihil tamen obstat quin ignobiliores homines, iisdem

causis quibus splendidi objecti, iisdem morbis laborarent, cujus exempla esse possunt, lanii, caupones, et in domis opulentis rhedarii, janitores, vinique curatores, haud infrequenter Arthritide detenti.[80]

Quod ad seriem temporum scire licet, Podagram omnibus aevis contigisse, magis tamen luxuriosis, ideoque recentioribus: Primus omnium ab Historia Podagricus commemoratur, Asa rex Judaeorum, seculo ante CHRISTUM circiter nono, ut eruditus Stukeley notavit:[81] Antiquis Graecis familiarem testantur, vetustissimi auctoris Hippocratis, et successorum ejus, illustria monumenta, inter quos comicus ille Lucianus, sagax Aretaeus, et praecipue Caelius Aurelianus, summae in describendo accurationis laudem meruere: Peregrinam in Italia, quamvis haud optimo judicio, Caius Plinius affirmavit, et frequentiorem extitisse, non modo patrum avorumque memoria, verum etiam sua;[82] A Seneca autem et Galeno ita suo aevo ob luxum et pravos mores increbuisse fertur, ut neque eunuchis, neque foeminis, neque pueris, amplius sicut antea, pepercerit:[83] Ex aliis antiquis gentibus, Scythae ab Hippo-

CRATE, Cares et Alexandrini a CAELIO AURELIANO, Podagrae opportuniores notabantur.[84]

Recentioribus temporibus, Arthritidem ex usu Vini liberaliore publice magis grassatam esse, in Anglia quidem observavit eximius vir GULIELMUS TEMPLE, in Batavia clarissimus VAN SWIETEN:[85] Quantum per seculum 18$^{m}$ apud nostrates increverit, perspicue docent Tabulae mortuorum Londinenses, a claro medico HEBERDEN secundo citatae, unde patet inter 10,000 hominum omnibus modis defunctorum, fere 12 inchoante seculo Arthritide periisse, medio 19, exeunte vero 31.[86] Ex regionibus autem praecipue affectare videtur medias Europae partes, et exinde profectas Colonias, vino nimirum aut pomaceo abundantes, et ex opulentia luxuriosas, magisque si accesserit coelum humidum, frigidulum, inaequale. Arthritis igitur in Gallia, Germania, et praesertim in Britannia morbus notissimus, in Damnonia, Moravia, et ad Rheni Mosaeque ripas, solo quasi naturalis existimatur.[87] In regionibus praeter modum aut calidis aut frigidis, coelo adversante quiescit, ita tamen ut in India Occidentali potatores haud raro exer-

ceat,[88] et Islandicis piscatoribus, quibus cum vita sedentaria cibus ex carnibus contingit, et madentia tractandi necessitas, manuum juncturas, ex testimonio Doctoris Von Troil, saepissime infestet.[89]

## DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Solam Proclivitatem aggravatam accessiones edere posse, supra memoratum est. Hanc autem vel adjuvant, vel augent, Causae Praedisponentes subito et acriter applicatae, quae exinde Causae Excitantes factae, interposita vel sanguinis distributione abnormi, vel concoctione laesa, vel nervoso genere cum debilitate perturbato, Arthritidem vel acutam, vel chronicam, pro opportunitatis ratione, accendunt.

Inter Causas Excitantes enumeranda sunt omnia quae corpus nimium aut stimulando, aut implendo, aut defatigando, male afficiunt, omnesque repentinae vicissitudines, quales sunt a victu lauto aut vita laboriosa ad inertiam et abstinentiam, aut quae his contraria sunt;[90] excernenda vel suppressa, vel praeter modum profusa, hinc coelo inclementi aut aequinoctiali,

maxime inter equitandum, collectum frigus;[91] crapula, et liquores fermentati epoti, unde Dyspepsia, et acor, vel interdum bilis in canali alimenti scaturiens, quem quidem effectum Pomaceum praesertim, et vinum Burdigalense, aut Campanum, celerrime praestant:[92] Dysenteriae et Febres biliosae perperam tractatae Arthritidem inducere dicuntur, supervenientes autem et rite curatae removere;[93] Cathartica etiam acriora, velut Aloe, accessiones inferre et renovare solent, quod partim ita fieri probabile est, ex impetu sanguinis versus articulos infirmos concitato, parique fortasse ratione nocent balnea ferventia, vel quibusdam Arthriticis aestivus calor:[94] assidua praeterea defatigatio, corpus casu quolibet graviter concussum, concubitus nimius, unde Podagram per coelibatum quiescentem nuptiae aliquando statim provocaverint,[95] mens anxiis curis aut lucubrationibus fessa et irritata, praecipue autem vehementes animi affectus, qui tamen Arthritidem jam praesentem etiam dispellere valent.[96]

Frigus denique, et vis omnigena ipsis artubus illata, cujusmodi sunt exercitatio ambulando aut saltando immodica, pedes calceis

arctioribus compressi, vulnera, distortiones, ossa demum fracta aut luxata, morbum affectis partibus saepe dirigunt, certe aggravant, simulque tophos promovent.[97]

## DE PROGNOSI.

Arthritis, quamvis ex omnium judicio sanatu difficilis habeatur, neque unquam fortasse insita proclivitas penitus eripitur, per totum tamen decursum Medicinae auxilia utiliter accipit, et idoneo regimine mature et constanter observato, per integram vitam feliciter prohiberi potest.

Prospera indicia praebent aetas firma, vires validae, morbus recens, causae remotae debiles, accessiones simplices, dolor acutus, et angusto spatio comprehensus, functiones praecipuae aut parum laesae, aut facile ad sanitatem reducendae. Inflammationem resolutam significant pruritus, et squamulae ex summa cute discedentes; neque melius instauratae valetudinis, ex peritissimi Parrii judicio, testimonium est,

quam ubi partes nuper vexatae, casu quolibet vespere frigefactae, cito recalescant.[98]

Quo magis haec signa invaluerint, eo brevior paroxysmus, et liberalius intervallum; quae autem his contraria sunt gravem morbum denunciant: aetas nimirum provectior, corpus infirmum, viscera implicata, malum vitae genus diutius observatum, articuli tophis occupati, accessiones multiplices, febre inordinata, et summa nervosi generis irritatione stipatae, inflammatio aut crebris migrationibus atrox, aut languida, et quasi ad interiores partes transitura. Sedimentum urinae evanescens desinentem morbum, rediens redivivum ostendit. Eo usque invenitur, hisce etiam nostris temporibus absoluta, vetustissimi auctoris Hippocratis sententia affirmantis; "Podagrici, qui aut "seniores sunt, aut articulos tophaceos habent, "aut alvo tarda aerumnosam vitam trahunt, "omnes, quantum scio, humana quidem arte "sanari nequeunt: impiger autem et laboriosus "juvenis, cui tophi nondum increverint, et al-"vus facilis vitae instituto respondeat, is certe "prudentem nactus medicum sanus evadet."[99]

Arthritis apud multos affectio salutaris existimatur, quamvis omnino eo nomine indigna, nisi quod corpus adhuc validum gravioribus vitiis internis quodammodo vindicat, quae subito quidem temeritas excitare potest, quae autem morbus ipse, continuo incremento et virium dissolutione, tandem arcessere solet. Egregie a sagaci HEBERDEN animadversum est, duplo plures esse in quibus Podagra aliis malis sine minimo levamine supervenit, aut nova prioribus adjungit, quam quibus prodesse videtur, et interdum paroxysmos per 3, vel etiam 30 annos, sine quavis noxa manifesta quiescere, qui antea per 10, vel etiam 28, quotannis rediissent.[100]

Raro morbus regularis jugulat, abnormis pro partis necessitate, et accessionis violentia, plerumque periculosus, saepe lethalis est. 50 inter 1000 Arthriticos perire solitos esse, medicus supra laudatus GILBERTUS BLANE observavit, cum ex totidem per seculum 18$^{m}$ Londini omnibus modis extinctis, 2 tantum Arthritide absumptos, Tabulae Mortuorum, a Doctore HEBERDEN secundo citatae, demonstrent.[101] Qui juvenes correpti in malo vitae genere perseve-

rant, saepe ante $50^{m}$ aetatis annum conficiuntur, morbumque omnino aevi diuturnitati adversum testantur, Pensiones Annuae in prospectam vitam comparatae, majori pretio Arthriticis quam caeteris paribus aliis coemendae.[102]

## DE ARTHRITIDE REGULARI MEDENDA.

Arthritidis Curatio duplex est, quae scilicet aut malum supprimere tantum, aut stirpitus evellere molitur. Harum prior ad tempus quidem valens et jucunda videatur, plerumque tamen serius ocyus damnosa deprehenditur, quippe cum vigorem corporis non proclivitatem demat, Arthritis exinde, primo frequentior, denique magis abnormis evadit, valetudine conquassata, et externis partibus inflammatione languida, perpetuo tumore, aut nodosis articulis impeditis. Posterior contra tardius agit, sed constanter adhibita, vires tandem morbi frangit, exitumque secundum reddit. Ad hoc autem necessarium est, proclivitatem Remotas Causas evitando diminuere, praesentis morbi signa maxime molesta mitigare, et lentas demum reliquias discutere, quae omnia vero ita temperanda sunt, ut neque paroxysmo sibi permisso corpus opprimatur, neque temere suppresso postea opportunius fiat.

## DE ARTHRITIDE ACUTA MEDENDA.

Instantem accessionem violenter avertunt fortis animi contentio, et quasi renixus, exercitatio valida, affecta pars post longam frictionem in calidam muriam demissa, Vini usus liberalior, Cinchonae cortex, aut per se aut cum Opio, largiter assumptus. Quin et Arthriticus quidam a Clerico commemoratur, cui coena sine potu ex halecibus salsis et tostis, semper feliciter cessit.[105]

Plurimae Res et multum inter se diversae, quibus tamen commune est nervosum genus vehementer afficere, ineuntem paroxysmum subito depellere valent, eoque facilius, quo debili mobilique corpori citius et maturius accesserint. Illa autem vel specialia sunt, vi quadam propria, et quasi venenata praedita, vel communia auxilia solito tantum audacius adhibita: Inter priora referenda sunt, Veratrum album, Helleborus niger, Colchicum autumnale, et Veteribus laudatus Hermodactylus, bulbus ut creditur Colchici Chinensis, Gratiola etiam officinalis, Scammonium, Elaterium, alia-

que his similia, quae vario artificio praeparata et composita, vulgo pro Antidotis venditantur. Haec omnia efficacia satis mirabili pollentia, inconstanti tamen et iteratione minuenda, alvum plerumque acriter dejiciunt, astrictam postea evasuram: interdum occulte agunt, sanguinis tantum ut videtur distributione mutata; si autem vel paululum modum excesserint, gravissima signa inferre solent, effusam alvi proluviem, ultimam corporis infirmitatem, spasmos universos, et animae denique defectionem: Tutius dantur exigua copia coenatis, Opio vel Aromatis mixtis, et balneo subinde interposito.[104] Robustioribus etiam, et quibus vis consuetudinis veluti in Febre intermittente magna est, purgantia fortiora, Opio interjecto, et subjuncto Cinchonae cortice, curationem satis commodam praestare possunt.[105]

Inter ea quae morbum extus applicata discutiunt, primarium locum obtinent caloris et frigoris extrema. Moxa nimirum, sive Artemisiae latifoliae lanugo, usitatissimum apud Japones ac Sinenses remedium, vel Linum ex Hippocratis consilio articulis inustum, recentem paroxysmum celerrime supprimit; sed nisi

coelo fervido, debitoque regimine adjutum, neque crebrae Arthritidis repetitioni, neque perpetuo incremento obstare videtur.[106] Parem fere effectum alia quoque stimulantia praebent, Alcohol scilicet calefactum, Olea volatilia, Camphora, Urticae, Vesicatoria, et scintillae Electricae. Longa etiam exercitatio, et laborantis membri frictio ad sudorem perducta, vel nuper celebrata compressio, cujus tamen non sine superstitione vestigia apud CAIUM PLINIUM, et ALEXANDRUM TRALLIANUM, conspicienda sunt.[107] Haec autem ineunti tantum paroxysmo conveniunt, quod si inflammatio extrinsecus flagret, Opium et alia anodyna plurimum valent, Astringentia quoque, velut Acetum, Acidum Sulphuricum quadruplo Oleo dilutum, et Aqua aluminata,[108] omnium vero maxime frigus.

Hoc auxilium, calidis praecipue regionibus idoneum, neque antiquis medicis ignoratum, cum ab HIPPOCRATE gelida aqua, a PLINIO Ulva Lactuca madens in Podagram commendetur,[109] haud raro sine quavis excretione, aut noxa statim manifesta, accessionem derepente tollit: saepe tamen post brevem torporem in-

flammatio gravior redit, aut latius diffunditur, interdum Erysipelas succrescit, et plerumque pro corporis opportunitate, morbus aut frequentior fit regularis, aut periculose ad viscera transfertur. Si quando experiendum est, quod nisi robustis, et praeparatis, et quibus arida cutis assidue ardeat, fieri non licet, praestat affectas partes identidem irrigare, quam in frigidarium demittere, et si forte signa adversa supervenerint, curationem cito mutare.[110]

---

Missis vero hujusmodi suspectis experimentis, ea demum ratio medendi quae Arthritidem radicitus evellere conatur, praeter Causas evitatas, de quo fusius sub Prophylaxi dicendum erit, in eo potissimum versatur, ut per remedia minime irritantia, sed singulorum proprietatibus et justae accessionis resolutioni accommodata, corporis pariter functionibus, et morbi indiciis, temperamentum quoddam et aequilibrium comparentur. Sunt autem signa quae praeter modum saeviendo imprimis levamentum postulant, febris aut inflammatio intensior, dolor intolerabilis, et ventriculi aut nervosi generis affectio gravis.

## DE CORPORIS UNIVERSI CURATIONE.

Ut primum notae instantis paroxysmi apparuerint, victus strictior, ex cibo simplici, modico, concoctu facili, instituendus est, omnibus quae acorem gignant sedulo exclusis. Acutissimis accesionibus sorbitio tantum concedatur, potuique Aqua tepida, Serum lactis, aut tenue quodlibet ex herbis aromaticis Infusum. Postea liberalius paululum cibi genus ita temperandum est, ut neque incitet nimis, neque infirmet. Imbecillis et male concoquentibus, alimentum ex mediae materiae carnibus partim confectum, solis oleribus aut panificiis anteponitur, et quibus liquorum meraciorum longa consuetudo fuerit, pauxillum Alcoholis Aqua copiosa diluti, interdum necessarium videtur.

Quantum in Arthritidem Mentis imperium valeat omni aevo observatum est, neque desunt exempla, ab Hildano aliisque fide dignis Auctoribus memorata, quibus vehementes animi affectus, terror imprimis et gaudium, subito et ex toto morbum sustulerint;[111] unde satis con-

stat tranquillitatem et fiduciam omnibus modis aegrorum animis conciliandas esse, ut "levior "fiat patientia, quicquid corrigere est nefas."

Urgente in plenioribus et robustis febre aut inflammatione, eoque magis si malum aut frigus, aut intemperantia, aut excernenda suppressa provocaverint, multum ad accessionem tum leniendam tum contrahendam proficit, sanguis incisa vena mature detractus; remedium alias fere supervacuum, siquidem Arthritidis violentiam parum sedat moderatum, immodicum etiam ad viscera relegare potest.[112] Capiti vero aut hypochondriis turgente sanguine gravatis cucurbitulae affixae, insigniter et sine ullo periculo opitulantur.

Optimum autem praesidium est in functionibus naturalibus, praesertim quae ad concoctionem spectant, probe restitutis et expeditis, quod potissimum quidem alvi purgatione efficitur; sin lingua sordet, et ventriculus nausea pressus acidum eructat, vomitus ineunte paroxysmo per Ipecacuanham excitatus, nocentem materiam tanquam crisi naturali ejiciendo, saepe causam mali protinus tollit.[113]

In Arthritide quidem purgare novum non

est, sed plurimum profecto interest quomodo purgetur. Medicamenta raro nec certa lege data, minime sufficiunt; ea quae parca detractione tormina gignunt, stomachum infestando morbum etiam augent; validissima, quamvis robustiores in praesenti haud mediocriter juvant, ventrem tamen plerumque astrictum relinquunt, neque penitus periculo vacant; Superest tantum ut ea purgantia quotidie, vel saltem prout opus sit adhibeantur, quae omnes abdominis humores abunde, sed sine irritatione eliciant; neque ab incepto desistendum, donec decedat paroxysmus, nitescat lingua, alvus denique et urina, diligenter hac de causa exploranda, modo pariter ac specie, omnino naturae conveniant. Quo consilio praeter Lotiones emollientes, quae per totum morbi decursum recte injiciuntur, ab Hamiltono Linnensi laudatur Submurias Hydrargyri, Opio, et Tartrati Antimonii adjunctus:[114] a Doctore Williams, medicamentum ex Manna, Rhabarbaro, Acetate Potassae, et Tinctura Castorei confectum:[115] Plerisque fortasse utiliores fuerint Scudamorio commendatae, Pilulae Hydrargyri, cum Pulvere Antimoniali, et Extracto Colo-

cynthidis, hora somni devorandae, et postridie mane, Haustu ex Sulphate Magnesiae, Magnesia ipsa, et Aceto Colchici composito excipiendae:[116] cavendum autem est ne ex Hydrargyro diutius accepto febricula accendatur, quod semper in Arthritide perniciosum deprehenditur.[117]

Ad acria corrigenda, quae in canali alimenti genita, uberrimum fomitem morbo praebent, Magnesia copiose sumpta, acorem simul subigendo et eliminando, egregie auxiliatur; sin bilis redundat, Acida aptiora sunt, et molestam sitim grate restinguunt, ventriculo tamen irritabili, aut sub usu Hydrargyri, aliena.[118]

Corpori rite disposito, sequitur ut sudor lenis arte moveatur, quippe qui maxime salutaris est, et HILDANO judice, summum doloris remedium.[119] Hunc commode praestant Diluentia et Diaphoretica mitiora, qualia sunt Infusum Sambuci floris, Decoctum radicis Sarsaparillae, vel Arctii Lappae, Aqua Acetatis Ammoniae, Ammonia paulum excedente, et Pulvis Antimonialis.[120] Quae contra nimium stimulando effusum sudorem provocent, febrem et inflammationem incitant, adeoque non adhibenda,

quin potius aestuans corpus quo melius exhalet refrigerandum sit.

Dolorem adhuc saevientem tandem lenire necessarium est, tum quia cursum sanguinis versus affectas partes vehementer accelerat, tum quia metus est ne ex diuturno cruciatu et vigilia, vires plane deficiant. Anodyna praepropere data, nulla curatione praemissa, haud secus atque frigus externum paroxysmum inutiliter turbant, et abnormia signa adjiciunt; ex eorum autem usu tempestivo, admodum simul et mitigatur et corripitur morbus.[121] Validissimum et fere instar omnium Opium est, sive Aqua dissolutum, sive dimidio pondere Pulveris Antimonialis mixtum, sive ad sudorem educendum, Ipecacuanha, more Doveriano sociatum, Carbonate tantum pro Sulphate Potassae supposito, et purgato ventri paulum ante vespertinam accessionem liberaliter injectum, singulis postea horis repetendum, donec quies assecuta fuerit.[122] Quibus Opium nocet alia Anodyna experienda sunt, quorum Stramonii Extractum, succo spissato Lactucae sativae adjunctum, Scudamorio optimum inventum est.[123] Moschi etiam, et minore gradu Casto-

rei semidrachma, sexta quaque hora devoranda, contra spasmos et dolores a supra laudato WILLIAMS commendantur.[124]

## DE PARTIS CURATIONE.

Pars ipsa temere curata graves viscerum affectus, praesertim in corpore mobili et vitioso, excitare potest, praeparato autem praesens levamentum affert, et artuum proclivitatem imminuit.

Dolentem partem maxime oportet penitus quiescere, et liberrime perspirare supinam, nullis aliis velamentis tectam quam quae ipsi aegro jucunda fuerint; cum calor nimius primo inflammationem, denique tophos et rigiditatem moveat. Ineunte accessione malagmata juvant, dein hirudines in vicinia affixae, postea si ferveat membrum, aqua egelida vel identidem affusa vel sponte vaporante refrigerandum est; quo etiam consilio, Alcohol tripla portione Misturae Camphorae dilutum, et bulliente aqua ad gratum teporem temperatum, egregie a SCUDAMORIO celebratur.[125]

Mitigato calore, dolor saepe insigniter levatur vapore calido, vel ex Aqua simplici, vel ex Herbis aromaticis maceratis, diu applicato, sed cavendum est ne frigus postea colligatur.[126] Balneum autem, et ipse cutis halitus ceratis vestimentis interclusus, tumorem et debilitatem augent, ideoque Emollientia plerumque minus expediunt, nisi partibus modica inflammatione rigidis, quibus Cataplasmata ex Lini vel Foenigraeci semine, cum pauxillo Alcoholis leniter stimulantia, interdum prosunt, iisdemque tegumenta plumea, lana succida, catuli vivi, atque id genus alia.[127] Oleosa vero et Unguenta, Arthritidi sicut Erysipelati aliena, dolores ut plurimum acuunt, aut latius diffundunt. Anodyna ex Opio, Belladonna, Stramonio, et similibus, utpote exhalationi inimica, tunc fortasse solummodo recte adhibentur, ubi cruciatus intolerabilis alia remedia superaverit.[128] Neque sane pluris facienda sunt, quae foetidum sudorem eliciendo, tophaceam materiam a nonnullis evocare creduntur, qualia, praeter inustionem supra commemoratam, tepidaria sunt, sale, sapone, aut Acido Muriatico imbuta, Brassicae, vel Tussilaginis folia arcte circumligata, aliaque

hujusmodi, quorum omnium, frustulum carnis bubulae crudae, ob celeri putredine saepius renovandum, optimum et tutissimum videtur.[129]

---

Post longas gravesque accessiones, quo melius et maturius aeger revalescat, cura non statim deponenda est, neque a vitae instituto nisi lentis passibus recedere licet. Victus liberalior paulatim assumi potest, irritamentis et acore adhuc evitatis: exhaustas vires lac asininum, et Decoctum Sarsaparillae, commode recreant; ventriculo imbecillo Amara leviora, veluti Infusum Cinchonae, aut Calumbae, cum Rheo, Zingibere, Magnesia, aut Carbonate Sodae, valde succurrunt, remediis quae debita excernenda suaviter eliciant subinde interjectis. Partes citius convalescunt modice exercitatae, quae contra ex longa quiete et ignavia debiles et claudae persistunt: Plurimum insuper roborantur omni mane muria lotae, leni frictione subjuncta, videndum interim ne temeritate aliqua aut incuria inflammatio renovetur.[130]

## DE ARTHRITIDE CHRONICA MEDENDA.

Arthritidis Chronicae Curatio, pro morbi vehementia, ad Acutae Curationem appropinquat, pro vetustate autem, moderatior esse debet. Sanguis melius a capite aut hypochondriis gravatis per cucurbitulas, quam ex brachio incisa vena detrahitur. Vires concoctrices sensim et sine violentia reficiendae sunt. Ad dolorem et aegritudinem leniendum, alia Anodyna, praesertim Extractum Stramonii, cum succo spissato Hyosciami nigri, aut Lactucae sativae, Opio, ob secernenda ab eo fere suppressa, saepe anteponuntur. In affectibus autem Rheumatismum simulantibus, Pulvis Ipecacuanhae et Opii, vel Tinctura Guaiaci ammoniata, alvi et urinae moventibus recte interseruntur. Urgente languore, Sub-Carbonas Ammoniae, caeteraque acoris sorbentia, aromatis adjecta, prompte subveniunt, alias plerumque melius a Stimulantibus abstinetur. Spasmos excruciantes, Moschi

semidrachma bis in dies sumpta, et fascia parti circumjecta, aut prohibent aut tollunt.

Quo magis morbus inveteraverit, eo strictius omnibus insistere oportet, quae ad praecavendum attineant, ita tamen ut subitae vicissitudines, et nimia virium dejectio, unde abnormia et periculosa signa oriri soleant, semper evitentur. Viscera obstructa expediunt, Cathartica ex Antimonio et Hydrargyro supra praescripta, et subinde vomitus radice Ipecacuanhae ciendus, quibus post paulo subjici possunt, Aquae quaedam Minerales, Spadae praesertim, et Pyrmontanae, vel in eorum loco Decoctum Cinchonae, cum Citrate aut Acetate Sodae, et viribus languentibus praeparata ex Ferro.[151]

Membra impedita, praeter exercitationem, vehiculum, frictionem, et muriae loturam, antea dicta, rivulus aquae egelidae saepe injectus, et interdum, nisi ossa cariosa fuerint, vesicatoria imposita admodum juvant, tepidario utpote nimis vel stimulante vel emolliente praetermisso.[152] Lentos tumores fascia discutit, dolentes Emplastrum Saponaceum. Partibus pene resolutis Linimenta cum Tinctura Can-

tharidis prosunt, penitus vero debilitatis et contractis nihil nisi frictio assidua more GROSVENORIANO proficit, interposita vi Electrica aut Galvanica, ad musculos excitandos.

---

Tophi Alcalinis potissimum resolvuntur, Aqua scilicet Potassae, pari portione Misturae Amygdalae diluta, saepius indies infricanda.[133] Vetustiores, mole tantum et deformitate molesti, recte exurentibus aperiuntur. Inflammatis hirudines primum in vicinia affigendae sunt, subsecuta vel humoris sponte vaporantis lotione, vel malagmate ex emollientibus; Si gangraena institerit, Opium, Cinchonae cortex, et victus liberalior conveniunt; tumorem qua maxime promineat exigua plaga incidere oportet, ut quod intus contineat leniter exprimatur; Ulcera quae pene perpetua exinde oriuntur mitissimis remediis tractanda sunt, omni conatu materiam manu extrahendi deposito.[134]

Articuli denique nodosi eandem fere curationem accipiunt, nisi quod Emplastrum Saponaceum, rivulus aquae tepidae, aliaque sudoris

moventia, quae tophos profecto aggravant, Alcalinorum loco applicanda sunt; sin haec parum profecerint, Unguentum Hydrargyri ad modicum salivae fluxum partibus illitum, ab hoc malo liberare dicitur.[155]

## DE ARTHRITIDE PRAECAVENDA.

Multa Remedia quae corpus vehementer afficiunt, morbum potius turbando quam tollendo, accessiones, sine quovis valetudinis incremento, ad tempus quidem prohibere possunt: Victus nempe ex lacte et oleribus parcissimus, praesertim sub coelo fervido, laboriosis et bene concoquentibus;[136] item sanguinis ex partibus opportunis per cucurbitulas detractio trimestris; quae tamen perpetuo repetenda sunt, utpote ex intermissis metus est, ne morbus nihil mitigatus, vel etiam magis abnormis redeat.[137]

Perennia porro Medicamenta ex Amaris et Aromatis confecta, apud varias gentes et plurima saecula inclaruere, postea vero ob graviora quae attulerint mala, Asthma nimirum, Pneumoniam, Hydropem, Apoplexiam, aut Paralysin, in desuetudinem abiere.[138] Inter Aromata simplicia Zingiber praestat, inter Amara Gentiana, et Quassia, quibus vero Cinchonae cortex, utpote minus ventriculo inimicus, a non-

nullis praeponitur. Pulvis Portlandicus, qui habet radicum Aristolochiae rotundae, et Gentianae luteae, summitatum et foliorum Teucrii Chamaedryos, Chamaepityos, et Centaurii minoris, par pondus, talium fortasse Antidotorum instar omnium esse potest:[139] Eo tamen usus ejus diuturnior infeliciter cessit, ut ex 50 Arthriticis ita curatis, omnes inter sex annos ad internecionem caesos Cadogan observaverit, idemque fere clarissimus Cullen testatur.[140]

---

Ea demum praecavendi ratio quae proclivitatem probe minuit maximi momenti ducenda est, quippe quae assidue observata, accessiones per integrum vitae spatium sine quovis periculo prohibere, vel saltem admodum mitigare valet, neglecta vero Podagram medicorum ut dicitur opprobrium, verius tamen aegrorum, in omni aevo effecit.

Haec autem pro modo opportunitatis intendi vel leniri debet, ita ut strictior sit statim post accessiones, et circa tempora quibus reverti consueverint, alias laxior sufficiat, et quibus morbus haereditarius est a primis etiam annis

necessaria, si quidem principiis obstare velimus. Cum vero hujusmodi curationis finis sit, Causas Arthritidis remotas sive externas sive internas vel extenuare vel effugere, non omnibus eadem esse potest, sed vario discrimine moderanda est, prout singulos aegros plenitudo nimia, distributio sanguinis abnormis, concoctio laesa, cum bile vel acore in canali alimenti scaturiente, aut nervosum genus perturbatum et irritabile, potissimum afflixerit; quibus tamen provisis, omnibus expedit firmissimam valetudinem moliri, totumque corporis habitum salutariter mutare, subitas autem vicissitudines, et omnimodam violentiam, utpote summe perniciosa, devitare. Hoc consilio Medicamenta opportune data haud inutilia sunt, maximas vero partes tenet vita recte instituta, temperantia nimirum universa, victus modicus, abstinentia a liquoribus fermentatis, Venus rara, mens hilaris et placida, justus somni modus, ideoque lectus mature petitus, excretiones faciles et expeditae, exercitatio assidua, vestitus idoneus, et quibus fieri licet, peregrinatio in regiones calidas.

Cibus igitur optimus simplex fuerit, siccus, frigefactus, concoctioni aptus, ex panificiis et

carnibus levioribus selectus, debitis intervallis sumptus, caena vel parcissima vel nulla. Modus pro ratione exercitationis ita finiendus est, ut nimia corporis redundantia et luxuries citra debilitatem comprimantur; quam ob causam, varietas ferculorum, et condimenta exquisitiora circumcidenda sunt, omniaque cruda, pinguia, acescentia, glutinosa, qualia sunt caro porcina, anserina, anatina, pisces graviores, praesertim cyprinus et anguilla, opus etiam pistorium, et interdum panis fermentatus: Ex fructibus Fragaria bene matura aestuanti ventriculo succurrit, et largiter assumpta ab illustrissimo LINNAEO, qui ipse expertus est, pro Antidoto habebatur.[141]

Quo melius a plenitudine caveatur, Potio quoque modica esse debet, et per cibi tantum intervalla capienda. Aqua, ut cum PINDARO loquamur, omnium optima est, sive frigida, a VAN DER HEYDEN tanquam summum remedium celebrata,[142] sive infirmi ventriculi gratia, ad corporis temperiem calefacta.[143] Sin Aqua simplex fastidietur, Aqua Super-Carbonatis Sodae, Serum lactis, leve ex Herbis aromaticis Infusum, vel Decoctum Sarsaparillae, recte in ejus loco supponuntur.

Quibus Podagra regularis vehementer increverit, modo vires satis firmae supersint, interdum convenit victum paulo tenuiorem per accessionem instituere, et in eodem postea perseverare, quousque valetudo exinde in melius provecta videatur.[144] Id tamen semper meminisse juvabit, omnem victus mutationem lente et circumspecte moliendam esse, ne gravem accessionem subita repletio, neve pejora adhuc vel etiam lethalia signa, improvisa depressio inferat.

Maxime autem in Arthritide praecavenda valent exercitatio assidua, et ab omnibus liquoribus fermentatis, vel tenuissimis quidem, abstinentia, quippe quae proclivitati aliisque Remotis Causis opposita, plurimos gravissime tentatos etiam per se liberaverint, quibus vero omissis caetera parum prosunt.[145] Quod si potum meraciorem infirmitas, aetas provectior, aut longa consuetudo desideret, Vina, tanquam Xeranum et Maderense, mollia et generosa, vel melius fortasse utpote minus acori opportunum, Alcohol copiosissime dilutum, aliis praeponenda sunt. Cum enim intemperantia, et satietas, et noxii animi motus, arterias tantum

concitando, distributionem sanguinis abnormem efficiant, exercitatio, venas simul expediendo, quae ignavia torpent, aequabilem humorum circuitum promovet, omnia secernenda evocat, et forsitan morbosam istam nervosi generis affectionem subvertit, qua Arthritis proxime constituitur. Hujus causa modica, frequens, et cibo accommodata esse debet, neque vehemens, neque ad ultimam lassitudinem perducta, unde accessiones excitari citius quam arceri solent. Commode exercent pila, halteres, natatio, remigium, et quocunque modo brachia praecipue jactantur, pedes contra longa ambulatione, saltu, aut equitatione fatigare, Podagricis alienum est.

Gestatio minus prodest, nisi quibus ob debilitatem vel artus impeditos potentia se movendi eripitur, imo multi in Arthritidem incidere observantur, qui toto die in vehiculo sedent: Demigratio vero ad coelum calidum, siccum, et aequale, unde cutis liberrime exhalet, et habitus corporis insigniter mutetur, longam securitatem promittit, et ex illustrium Auctorum Halleri, Van Swieten, et Gregorii nostri testimonio, nonnullos in perpetuum a morbo

vindicavere.[146] Similem quodammodo sed minorem effectum praebent conclave arte tepefactum, lectus mature petitus, amictus, praecipue artuum inferiorum, densior, indusium laneum, et exquisita corporis mundities. Qui autem per se exerceri nequeunt, multa frictione uti debent, et interdum balneo lavari, quod, sive natura sive arte oblatum, affectas partes resolvendo, et saepe accessiones excitando, robustioribus plerumque nocet.[147] Imbecillis quoque fontes quidam medicinales, veluti Thermae Carolinae, a claro HOFMANNO celebratae, lac asininum, Serum in quo Herbae aromaticae infusae sint, vel Decoctum Sarsaparillae, aut Arctii Lappae mane assumpta, cutis halitum salutariter eliciunt.[148]

Ut corporis exercitatio optimum, sic mentis contra anxietas et contentio, praesertim cum vigiliis nocturnis, maxime perniciosa sunt, ideoque tranquillitas animi cum hilaritate omnibus modis concilianda est, unde fortasse inciderit, superstitiosa quaedam et anilia Antidota, veluti Magnetem collo suspensum, aliaque Amuleta et Incantamenta, nonnunquam ad Podagram prohibendam non mediocriter contulisse.[149]

Quod ad medicamenta scire licet, ea per se quidem parum valere, regimini tamen adjuncta saepe utilia, interdum necessaria esse. Plenioribus molestam materiam quoties superaverit detrahere, haud raro instantem accessionem avertit: cucurbitulae vero gravatis partibus affixae plerumque magis conveniunt, quam sanguis incisa vena missus, quod nervosum genus nimis perturbat, et iteratione plenitudinem etiam auget. Si ventriculus laboret, vomitus ex Ipecacuanha praesens et egregium auxilium est. Ad alvum facilem tenendam, maximi momenti rem, et nunquam omittendam, Cathartica valida, quae ventrem tardiorem relinquunt, et quiescentem morbum interdum provocant, aliena sunt, quin et mitissima si perpetuo adhibeantur, naturales actiones praevertendo, multum nocent: His autem servatis, purgantia leniora et acidi corrigentia tempestive interposita, summae utilitatis sunt; Rheum nimirum, Sulphur, Magnesia, medicamenta ex Antimonio et Hydrargyro supra praescripta, Gambogia ad urinam movendam subinde adjecta, vel aliquando Taraxaci, aut Lappae Decocto.[150] Quibusdam Aqua Calcis diu et largiter ingesta admodum

profuit, sin tophi adsint, Alcalia, utpote majore vi solvendi praedita, a peritissimo WOLLASTON Terris absorbentibus anteponuntur.[151]

Postremo, ad vires augendas, quoniam omnibus morbis infirmitas obnoxia sit, nihil fere efficacius est, quam ut functiones universae probe sustineantur, et causae nocivae evitentur. Sin a ventriculo torpente corpus languidum et mobile perstiterit, potiones ex Amaris et Aromatis, cum praeparatis ex Ferro, caeteris observationibus utiliter subjiciuntur. Quibusdam Guaiaci resina, aut Allii radix, pari ratione succurrit, nonnullis validum Tanaceti Infusum, quod plerumque etiam vel alvum vel urinam movet.[152]

Inter remedia autem quae simul roborant, habitumque in melius mutant, Frigidarium, praesertim marinum, frictione assidua et exercitatione subsecutis, omnium longe nobilissimum est, ideoque a claris medicis FLOYER, HEBERDEN, et STOLL, eximiis laudibus commendatum.[153] Cum vero hoc auxilium paulo vehementius sit, ab iis qui vim renitendi non habent melius praetermittitur; plurimis etiam omni mane caput et artus frigida muria lavare

abunde sufficiat; plenioribus et male concoquentibus idonea curatio antecedere debet, et omnibus denique, quo minus nervosum genus perturbetur, a tepidario et per calidam tempestatem incipiendum est.

---

Finem tandem impositurus argumento satis difficili, et nimis fortasse producto, ad desperationem quodammodo tollendam, quam nonnullis incutere possint a LUCIANO aliisque petulanter enumerata invalida Podagrae auxilia,[154] coronidis loco subjiciam, hujusmodi convicia parum omnino ad rem attinere; Arthritidem enim, ut jam dictum est, malis plerumque moribus enatam, vel saltem innixam, minus medicamentis quam justa victus ratione debellandam esse, idque non exigui spatii, sed totius vitae opus esse, neque medici tantum quantum ipsius aegri negotium; omnibus praeterea notissimum esse, nulla fere perpetua praecepta Medicinalem Artem recipere, neque ullum extare remedium, quin solo tempestivo usu, et prudenti administratione, tale fiat.

FINIS.

# INDEX

LOCORUM memorabilium, apud melioris notæ Auctores, qui singulas prægressi Opusculi particulas, vel observationibus illustrant, vel comprobant testimonio, vel argumentis et rationibus confirmant; inter quos majusculis literis distinguuntur eorum Nomina, qui Arthritidem ipsi perpessi, et quasi ex dolore eloquentes, ardentibus sæpe verbis et egregia subtilitate Historiam Morbi descripserint; ideoque majori fortasse fide et attentione, in hac saltem parte, audiendi videantur.

---

## AUCTORUM ET OPERUM
### DESIGNATIO.

---

## A.

Adair (James Mackittrick)
Medical Cautions, chiefly for the consideration of Invalids, 8vo. Bath, 1787.

Adams (Joseph)
Treatise on the Hereditary Peculiarities of the Human Race, (Edit: 2da.) 8vo. Lond: 1815.

Aetius (Amidenus)
Medicinæ Tetrabiblos, (a Jan: Cornario Latinitate donatus,) fol: Lugdun: 1549.

Alexander (Trallianus)
De Arte Medica, (Interprete Jo: Guinter: curante Alberto De Haller) 8vo. Lausann: 1772.

Alpinus (Prosper)
De Medicina Ægyptiorum, 4to. Paris: 1646.

Aretæus (Cappadox)
Opera cura Wigan, fol: Oxon: 1723.

## B.

Bacon (Francis Lord Verulam)
Works, in 5 tom: 4to. Lond: 1778.

Baglivi (Georgius)
Opera, 4to. Lugdun: 1745.

Balfour (William)
On a new, simple, and expeditious mode of curing Gout;—Edinburgh Medical and Surgical Journal, Tom: XII. (Edit: 2da.) 8vo. Edin: 1817, p: 432—439.

Ballonius (Gulielmus)
Opera, 4to. Genev: 1762.

Barry (Edward)
On the Three Digestions and Discharges of the Human Body, and the Diseases of their principal Organs, 8vo. Lond: 1759.

Berkenhout (John)
Examination of Dr Cadogan's Treatise on the Gout, &c. in a Letter to the Author, 8vo. Lond: 1772.

Berthollet (C: L:)
Sur l'Analyse Animale comparée à l'Analyse Vegetale—Observations sur la Physique, sur l'Histoire Naturelle, et sur les Arts, Tom: XXVIII. 4to. Paris: 1786, p: 272—275.

Blane (Sir Gilbert)
On the comparative Prevalence, Mortality, and Treatment of different Diseases,—Medico-Chirurgical Transactions of the Medical and Chirurgical Society of London, Tom: IV. 8vo. Lond: 1813, Cap: 9.

Bonetus (Theophilus)
Sepulchretum Anatomicum, fol: Genev: 1679.

Borelli (Petrus)
Histor: et Observat: Medico-Physic: Rarior: Cent: 4, &c. 12mo. Francof: 1670.

Botallus (Leonardus)
Opera cura Horne, 12mo. Lugd: Bat: 1660.

Brodie (B: C:)
Pathological Researches respecting the Diseases of the Joints,—Medico-Chirurgical Transactions, Tom: IV. 8vo. Lond: 1813, Cap: 15.

Boyle (Hon: Robert)
Works, in 6 tom: 4to. Lond: 1772.

## C.



## D.

## F.

Falconer (William)
Observations on Dr Cadogan's Dissertation on the Gout, &c. 8vo. Lond:
On the Influence of the Passions on Disorders of the Body, (Edit: 3ª) 12mo. Lond: 1796.

Floyer (Sir John)
History of Cold Bathing,—with a 2d Part by Dr Edward Baynard, 8vo. Lond: 1709.

Forbes (Murray)
Treatise upon Gravel and upon Gout, 8vo. Lond: 1793.

Freind (John)
History of Physic from the time of Galen to the beginning of the XVIth Century, (Edit: 2da.) in 2 tom: 12mo. Lond: 1725.

## G.

Galenus (Claudius)
Opera ex 8va Juntarum Editione, in 4 tom: fol: Venet: 1609.

Gardiner (John)
Inquiry into the Nature, Cause, and Cure of the Gout, 8vo. Edin: 1792.

Garnett (Thomas)
Popular Lectures on Zoonomia, 4to. Lond: 1804.

Gourlay (William)
Natural History of Madeira, 8vo. Lond: 1811.

Grainger (James)
On West-India Diseases, with Notes by Dr Wright, 8vo. Edin: 1802.

Gregory (Jacobus)
Dissert: Medic: Inaug: de Morbis Cœli Mutatione Medendis, 12mo. Edin: 1776.
Prælect: Academic: circa Medicinam Practicam.

Guilbert et Dallidé
Sur la Goutte—Dictionnaire des Sciences Medicales, Tom: XIX, 8vo. Paris, 1817.

## H.

Haller (Albertus de)
Elementa Physiologiæ Corporis Humani, 4to. Lugd: Bat: 1764.
Historia Morborum qui Annis 1699—1702, Vratislaviæ grassati sunt, 4to. Lausann: & Genev: 1746.

## L.



## M.

## N.



## P.



## R.

## V.



## W.

# LOCORUM DESIGNATIO.

1.

Barry, Of the Gout, p: 197—200.

2.

Coste, p: 10, 11.—Hofmann, De Dolore Podagrico, &c. Tom: II, p: 341.

3.

Berthollet, Obs: sur la Physique, Tom: XXVIII, p: 275.
Coste, p: 10, 52, 55.—Scudamore, p: 17, 18, 128, 129.

4.

Coste, p: 51, 52.—Cullen, Tom: I, cap: 14, p: 188.—Gardiner, p: 95—96. — Musgrave, De Arth: Prim: Reg: p: 29—32. —Parry, p: 425.
Riverius, De Arthrit: p: 411.—Rowley, p: 2.—Scudamore, p: 18.
Sydenham, De Podagra, p: 436.

5.

Cælius Aurel: De Morb: Chron: Lib: V, cap: 2, p: 558.—Cullen, Tom: I, cap: 14, p: 188.—Hofmann: De Dolore Podagrico, &c. Tom: II, p: 344.
Liger, p: 209, 210.—Parkinson, cap: 3, p: 53, 54.—Parry, p: 423, 424.
Scudamore, p: 21, 22.—Williams, p: 14, 37.

6.

Chalmers, Tom: II, Sect: 3, p: 174.—Gardiner, p: 96, 97.—Musgrave, De Arth: Prim: Reg. p: 110.—Parry, p: 424, 425.—Scudamore, p: 18.
Sydenham, De Podagra, p: 436.

7.

Darwin, Tom: I, Sect: 24, p: 271, 272 ; Tom: II, Class 4, p: 450.
Hamilton, Epist: III, p: 75, 76.—Scudamore, p: 21.

78.



79.



80.



81.



82.



83.



84.



85.

## 86.



## 87.



## 88.



## 89.



## 90.



## 91.



## 92.

## 111.



## 112.



## 113.



## 114.



O

## 123.

Scudamore, p: 230—235.

## 124.

Williams, p: 42—48.

## 125.

Ballonius, Tom: IV, p: 334.—Chalmers, Tom: II, Sect: 3, p: 172, 175. Cullen, Tom: I, Cap: 14, p: 206.—Dover, p: 11, 12.—Gardiner, p: 211—218.—Gregory, Prælect: circa Medicin: Practic:——Hamilton, Epist: VIII, p: 162—170; Epist: IX, p: 182—184.—Heberden, Commentarii, p: 45—47.—Musgrave, De Arth: Prim: Reg: p: 101, 102, 115. Parry, p: 456, 457.—Plinius, Lib: XXXII, Cap: 10, p: 569. Riverius, De Arthrit: p: 414.—Rush, Tom: II, p: 262, 263. Scudamore, p: 240—244; 250—256.——Small, Medical Obs: and Inq: Tom: VI, p: 201—205; 207—209; 217—219.—Sydenham, De Podagra, p: 439, 440.

## 126.

Barry, Of the Gout, p: 205.—Blegborough, London Med: and Phys: Journal, Tom: VIII, p: 54—62.—Marcard, p: 144, 221.—Riverius, De Arthrit: p: 412.—Scudamore, p: 245—247.—Sparrman, Tom: II, p: 170, 171.

## 127.

Aetius, Lib: XII, p: 717, 718.—Alexander Trallianus, Lib: XI, Cap: 1, p: 86, 87.—Bacon, Natural History, Obs: 60, Cent: I, Tom: I, p: 152, 153; Receipts for the Gout, ibid: p: 430.—Baglivi, Praxis Medica, Lib: II, Cap: 6, p: 192.——Borelli, Obs: 28, Cent: III; item apud Boyle, Tom: II, p: 166.—Celsus, Lib: IV, Cap: 24, p: 202.—Darwin, Tom: II, Class: 4, p: 460.—Gardiner, p: 197—204; 218—220.—Hamilton, Epist: VIII, p: 164.—Liger, p: 266, 267.—Musgrave, De Arthrit: Prim: Reg: p: 100.—Parry, p: 456, 457.—Riverius, De Arthrit: p: 413.—Rowley, p: 57, 58.—Scudamore, p: 243—248.—Sennert: De Artbrit: Tom: III, p: 483—485, 511.—Sydenham, De Podagra, p: 476.—Temple, On the Cure of Gout by Moxa, Tom: I, p: 142, 143; On Health and Long Life, ibid: p: 287.—Van Swieten, Sect: 1278, Tom: IV, p: 382, 383. Williams, p: 39, 40.—Willis, p: 282, 283.

## 128.

Alexander Trallianus, Lib: XI, Cap: 1, p: 86, 103, 110, 111.——Celsus, Lib: IV, Cap: 24, p: 202.—Chalmers, Tom: II, Sect: 5, p: 179. Desault, p: 233.—Hildanus, Obs: 85, Cent: VI, p: 612.—Lister, p: 40, 41.—Parkinson, Cap: VII, p: 128, 129.—Riverius, De Arthrit: p: 412, 413.—Sennert: De Arthrit: Tom: III, p: 484, 485.—Willis, p: 282.

## 129.



## 130.



## 131.



## 132.



## 133.



## 134.



## 135.

## 136.



## 137.



## 138.



## 139.



## 140.



## 141.

## 146.



## 147.



## 148.



## 149.



## 150.

FINIS.